

est hoc, scilicet cibus. Et ipse praesultor et alter ex ipsius parasitastriis scurra petulans aperte dicunt [79:] nusquam in scriptura pani tribui appellationem corporis, vt hoc modo caeremoniam et ritum ipsum tanquam nullius vsus relegend ex ecclesia, quem alias, vbi nondum metas insaniae humanae excedebat, docebat esse picturam et vmbram manducationis internae. Credo pios expauescere ad hanc δυσφημίαν ex exemplo Polycarpi²³⁰ iudicare aures esse obstruendas, cum tamen suos symmistas tali sermone simili incantationibus, vt circe medicamentoso poculo amatores suos in porcos et alias bestias vertebat, ita ipse in hyenas aut certe in alia animalia plane Epicurea transformet.

Extant refutationes horum deliriorum scriptae et prolixae et vere. Ideo nos tantum pauca de nostra causa dicemus et examinabimus ipsius pharmaca, quae profecto, vt rectae dictum est, non sunt σοφά, sed quasi hallucinationes hominis ex morbo furentis et mendacia execranda. Propositio verissima est Filium Dei hac sumptione efficacem esse in credentibus, sicut expresse dicitur: „Panis est κοινωνία corporis Christi“, „Poculum est κοινωνία sanguinis Christi“²³¹ et notum est de omnibus sacramentis dictum esse in genere, quod sint sigilla iustitiae fidei.²³² Nota est etiam perpetua antiquitatis doctrina et consuetudo, quae adeo non docuit, symbola esse vacua signa, vt potius hyperbolis interdum vsa esse videatur.

Quis autem credat hanc esse Christiani pectoris vocem? Vsum coenae esse ἀδιάφορον cum extet seuerissime mandatum: „Hoc facite“²³³ „quotiescunque biberitis conuenientibus vobis mortem domini annunciate“²³⁴ et vetus ecclesia in omnibus ferme congressibus ritum hunc tanquam maxime salutarem et necessariam σπονδὴν vsurpauit. Manducatio spiritualis, hoc est κοινωνία Christi et sumentis vere fundamentum et forma est huius actiones, sed interea non est dicendum caeremoniam esse ociosum et inutile spectaculum. Norunt enim pij isto externo pignore ex immensa bonitate Dei confirmari fidem nostram et fieri obsignationem interioris illius communicationis. Olim dictum est stultissimos omnium ho-[80:]minum esse grammaticos, quod praesagium fortassis in istis nunc demum expletum est. Sed audiant grammaticam sobriam oppositam non syntaxi, sed confusione ebriae. Scimus hanc esse naturam pronominum demonstratiuorum, vt demonstrant subiectum singulare vel indiuiduum. Quae vero ad intellectum referuntur vel ad totam orationem praecedentem esse nomina relatiua. Si vero forte ex nouis Indiis propter recens bellum grammaticale nunciata est antiqui iuris immutatio ostendant commentarios aut vapulent. Fortassis minus periti fuerunt Graecae

²³⁰ Vgl. den Bericht des Polykarp, der Evangelist Johannes habe sich die Ohren zugehalten, als er gesehen habe, dass Kerinth, der Gnostiker, in derselben Badestube gewesen sei wie er: Irēnāus von Lyon, *Adversus haereses* III, 3, 4, in: PG 7, 851–855 (FC 8/3, 34,9–38,3).

²³¹ I Kor 10,16.

²³² Zu den „sigilla iustitiae fidei“ vgl. Philipp Melancthon, *Loci praecipui theologici* (1559), in: CR 21, 847 (MWA 2/2, 498,10–13).

²³³ Lk 22,19; I Kor 11,24.

²³⁴ I Kor 11,26.